Catholic Diocese of Hong Kong
香港教區檔案處
ARCHIVES OFFICE

# DECRETUM

## SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

AD recte judicandum de causis, quae ad Apostolicam Sedem deferuntur sive in gradu appellationis, sive in casu postulationum, et quorumcumque recursuum, necesse omnino est, ut de factis ac veritate documentorum, quae afferuntur, certo ac legitime constet. Cum autem plerumque accidat, ut in tanta locorum distantia neque personarum, quae testificantur, neque earum characterum notio ulla habeatur; ita ad vitandam quamcumque fraudem, atque ut rerum veritas innotescat, plurimum expedire visum est, Notarios Apostolicos probitate ac fide spectatos in singulis Dioecesibus constituere, qui acta et documenta omnia ad S. Congregationem perferenda diligenter recognoscant, suaque adprobatione confirment. Cum igitur de eximia spectatissimi Viri *P. Antonii Feliciani Ord. Min. Obs.* integritate, scientia, ac fide, gravia habita sint testimonia; Sacra Congregatio ex tradita sibi a Sanctissimo Domino *Pio PP. IX* auctoritate, eumdem D. *Antonium Feliciani* in Notarium Apostolicum totius Dioecesis *Macaoensis et aliarum Miss. Sinensium* pro Ecclesiasticis tantum negociis, maxime vero iis, quae ad S. Congregationem pertinent, designavit, instituit, ac declaravit, cum facultate agnoscendi, et adprobandi juridica sua attestatione, et notarialis sigilli appositione, Ecclesiastica quaelibet acta; instrumenta rogandi; legalem exemplarium collationem conficiendi; examinandi testes, eorumque subscriptionum veritatem comprobandi; demum alia omnia exercendi, quae ad Notarii officium spectare quomodolibet possunt, intra tamen ejusdem Dioecesis fines, et non alias; decernens, ac jubens, ut ipsius Apostolici Notarii recognitionibus, et attestationibus in judicio, et extra, plena adhibeatur fides, ita ut S. Congregatio in posterum nulla omnino documenta ex eadem Dioecesi profecta sit admissura, nisi illa per eumdem Notarium, salva semper Episcopi fide et auctoritate, rite recognita fuerint atque firmata.

Vult autem Sacra Congregatio, ac praecipit, ut antequam praefatus D. *Antonius Feliciani* Notariale hujusmodi munus suscipiat, Orthodoxae Fidei professionem, ac juramentum in manibus Reverendissimi Ordinarii sui emittat, quotannis in die Circumcisionis D. N. JESU CHRISTI renovandum, juxta formam, quae sequitur.

*Ego* *P. Antonius Feliciani* *post hanc horam fidelis, et obediens ero B. Petro Apostolo, SS. D. N.* *Pio PP. IX* *ejusque successoribus canonice intrantibus, et S. Romanae Ecclesiae. Non ero in consilio, auxilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, vel per litteras, aut nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam; siquid vero ad meam notitiam devenire contigerit, quod in periculum Romani Pontificis, vel Ecclesiae Romanae vergeret, aut si grave damnum illi immineret, illud pro facultate mea impediam, et si hoc impedire non potero, curabo bona fide id ad notitiam SS. D. N. Papae perferri. Papatum Romanum, et Regalia S. Petri, ac jura ipsius Ecclesiae juvabo, et, quantum in me erit, contra omnes homines defendam. Sacram Congregationem de Propaganda Fide venerabor, ejusdem decreta et instituta servabo, nec per quempiam verbo vel facto pro viribus meis violari permittam. Tabellionis officium fideliter exercebo, nihil addendo, minuendo, vel immutando praeter veritatem; attestationes, ac documenta, in quibus sciam concurrere, vel intercedere vim, aut fraudem, nullatenus mea adprobatione firmabo; testes, eorumque secretas depositiones non revelabo; actorum notam accurate custodiam; neque aliquid ultra accipiam praeter modicas taxas ab Episcopo designandas. Haec autem omnia, et singula eo inviolabilius observabo, quo certior sum, nihil in iis contineri, quod fidelitati meae erga civilem potestatem adversari possit. ET ITA SPONDEO, ET JURO. SIC ME DEUS ADIUVET, ET HAEC SANCTA DEI EVANGELIA.*

Datum Romae ex aedibus ejusdem Sacrae Congregationis hac die *30 Novembris* Anni *1848*

*J. Ph. Card. Fransonius Praef.*

*Alexander Barnabò Pro-Secr.*

*Ego infra-scriptus, post praemissam coram me a Rev. Patre Antonio Feliciani professionem Fidei, recepi ab eodem, tactis S.tis Evangeliis, supra-scriptum juramentum.*

*Victoria in Hong-Kong, hac die 6 Novembris 1849.*

*+ Augustinus ep. [illegible],*

*V. A. Tapensis(?), pro praef. ap. Hong-Kong.*